



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. IV. De Actione creatiuâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

ab illis conseruantur. vnde non sequitur, ex ablatione vnius partis causæ mutandam totam actionem, & multò minus sequitur, in qualibet morula futuras infinitas nouas actiones, sed solum sequitur, in secundo instanti esse aliam diuersam actionem à primâ, hanc autem secundam, quia non procedit ab igne priori, non propterea mutari ad mutationem prioris ignis, aut cuiuslibet illius partis.

In luce verò, quæ ab eadem causâ conseruatur à quâ producit, locum habet prior solutio. Quod si ad aliquam partem effectus & actionis (iam enim ostendi, de vtriusque esse eandem rationem) concurrant omnes partes causæ, tunc dicendum est, quacumque parte causæ ablata, perire eam partem actionis & effectus, quæ ab omnibus illis conseruabatur, nisi aliqua alia succedat loco illius; tunc enim solum mutabitur actio, ipse tamen effectus manebit. In quo nec vel leuis apparet difficultas.

39 Vltimò tandem obijciens: Actio & terminus debent in duratione commensurari, sed actio est instantanea, terminus verò manens; ergo non commensurantur, ergo non datur actio distincta. Fateor, me non intelligere quid sit specialius, quoad hoc, in actione distincta, quam in idemificata: illud enim principium de conformitate actionis & termini, eodem modo locum habet, siue actio sit modus distinctus, siue non. Vel quomodo ipsi specialius probant, actionem, si distinguatur, debere conformari; non autem, si sit indistincta? Respondeo ergo, quamdiu effectus conseruatur ab eadem causâ à quâ productus est, semper manere eandem actionem, & tunc conformari in duratione: si verò effectus à diuersâ causâ conseruetur, tunc mutari actionem; quod non habet maius mysterium, quam quod mutantur ipsæ causæ: semper autem manet aliqua actio quæ effectus conseruatur, licet tunc non vocetur actio, sed conseruatio.

SECTIO IV.

De Actione creatiua.

DIFFICULTAS hæc est ad disputationem de causâ primâ, cuius propria est creatio, pertinere videatur, quia tamen, vt ex dictis constat, connexa valde est his quæ de actione in communi diximus, hic examinanda videtur.

SUBSECTIO PRIMA.

Actio creatiua distinguitur à volitione Dei.

40 **I**AM nobis est absolute probandum contra Auctores primæ & secundæ sententiæ Sectione 3, relatos, & creationem & actionem eductiuam Dei ab eius volitione distingui. In hanc sententiam communiter conueniunt recentiores & Societate nostrâ. Eam tenet P. Vasquez & alij, quos refert & sequitur Hurtadus Disputat. 12. §. 21. vbi ostendit, eam esse D. Thomæ. Probatur autem Primò, quia (vt ostendi Sectione præcedenti) actio eductiua necessariò distinguitur à Deo & creaturâ productâ, & (vt ibi ostendi) idem est de creatiua; ergo actio, quæ effectus producit, distinguitur à volitione Dei. Patet

consequentia, quia distinguitur à Deo, ergo à volitione Dei, quæ est idem realiter cum Deo. Secundo verò, specialiter eam distingui à volitione Dei, ostenditur, quia volitio Dei est ab æterno, & ab æterno non est creatio Petri, ergo volitio Dei non est creatio Petri. Probatur cōsequentia, quia si volitio & creatio sunt idem, non potest vna esse ab æterno, quin & altera: & sicut Angelus ab æterno amatur, & dicitur volitus, ita & deberet dici & esse creatus.

Dices, ab æterno esse creationem Petri, licet ab æterno non sit Petrus creatus. Sed contrâ, quia actio nequit esse actus existens, nisi actu existat eius terminus, ergo non potest esse ab æterno creatio Petri, nisi Petrus etiam sit ab æterno creatus.

Dices Secundò, ab æterno Petrum esse creatum, non pro tunc sed pro præsentī tempore. Contrâ, quia si est creatus, ergo & existens: at dicere illum ab æterno existere pro hodierno die, est repugnantia in terminis, vt per se patet, si tamen verè ab æterno non existit, ergo & repugnabit eum esse ab æterno creatum pro tali tempore, Vide P. Hurtadum suprà, qui bene virget hoc argumentum.

Dices Tertiò, volitionem Dei non constitui in ratione creationis actu, nisi ex cōnotatione actualis existentie termini: cumque hic non existat ab æterno, sed in tempore, inde sit, vt non ab æterno, sed in tempore sit actio Dei. Sed contrâ, ergo iam actio in ratione actionis includit aliquid distinctum à volitione Dei; hoc autem non potest esse ipsa entitas effectus, vt ostendam Subsectione 2. & 3. ergo debet esse aliquid distinctum ab ipso effectu & à volitione Dei, quod contendo.

Dices, Illud distinctum, quod connotat volitio Dei in ratione actionis, esse ipsum effectum, qui licet non possit esse actio sui ipsius, potest tamen esse connotatum suæ actionis. Contrâ, quia in Logica Disputatione xii. Sectione 3, omnino reieciimus hæc connotata vt impossibilia, ergo non potest per illa explicari, quæ ratione, licet volitio Dei sit actio creatiua Petri in tempore, eadem tamen volitio præcedens vel subsequens Petrum, nõ sortiatur de facto rationem actionis, vel ab æterno sit ea volitio in ratione entis, non verò in ratione denominationis; quia ista distinctio est omnino Chimærica: nam denominatio & ens est idem, vnde si manet in ratione entis à quo prouenit denominatio formaliter, debet manere in ratione denominationis, nisi auferatur aliquid quod sit pars denominationis; ergo non potest dici, solam volitionem Dei esse totam essentiam actionis; & licet volitio fuerit ab æterno, non tamen fuisse ab æterno actionem etiam in ratione actionis. Vel debes dicere ipsum effectum esse partem actionis, quod refugis, & de quo me videro Subsectione 2.

Aliqui Auctores in creatis repugnare censent ea connotata extrinseca, in Deo tamen putant necessariò admittenda, quia actus liberi non possunt aliter explicari, nisi dicamus, eandem entitatem Dei futuram in ratione entitatis, si mundus non existeret; tunc autem non futuram eandem in ratione denominationis volentis. Ob quod exemplum vltèriùs progredientes, præter denominationem volentis ab æterno creare, addunt

dunt etiam esse aliam in tempore intrinsecam Deo *actu creatis*, quæ resultat posito termino, & quæ est actio creativa ipsius Dei; sicut posita futuritione liberâ creaturarum, resultat in Deo denominatione intrinseca volentis, cognoscentis, &c. Vnde hi actionem Dei ab eius volitione distinguunt, quo nostris argumentis supra factis satisficere se putant; adhuc tamen eam actionem identificant cum Deo, & dicunt de nouo incipere in Deo eam esse non in ratione entitatis, sed in ratione denominationis. Hanc sententiam merito P. Hurtadus reiecit, à §. 35 quia imperceptibilem difficultatem de actibus liberis sine necessitate extendit ad alias materias. Impugnatio sufficientissima & pro me vera, sed in eâ non procedit ille consequenter, quia eandem difficultatem de actibus liberis ad actus necessarios Dei etiam gratis extendit, quos in hoc puncto alibi reieci; possentque iam illis aduersarij respondere, Cur miramini hos hic extendere eam difficultatem, quam & vos alibi extenditis: Consequentius ergo nos negamus talia connotata, & in actione ad extra & in scientiâ necessariâ, atque in omnipotentia; quia non cogimur hic ea admittere, quidquid sit de actibus liberis, qui à nobis vix percipi possunt.

44 Secundò impugnantur & hi & præcedentes Auctores, quia (vt dixi Sectione 2.) deberent eodem modo loqui de actioneeductiuâ Dei, quam tamen ipsi à volitione diuinâ ipsoque Deo distinguunt.

Possent tamen vtrique respondere, volitionem Dei non posse esse actionemeductiuam, quia aliâ illa volitio haberet se ipsam pro obiecto: dum enim dicit, *Volo educere formam ignis*, si ipsum educere, seu ipsaeductio esset volitio Dei, idem esset dicere, *Volo educere*, ac *Volo me ipsam*. Potuissent etiam hi videre, eandem esse prorsus difficultatem de creatione; argumentor enim & ego sic: *Volitio est creatio, ergo dum Deus dicit, Volo creationem materia, seu creare materiam, illa volitio dicit, Volo me ipsam*, est ergo vtrobique idem scopus. Contrâ Secundò, quia si volitio Dei sit creatio &eductio, non debet ea volitio ita explicari, *Volo creare, volo educere*, sed, *Volo existere Angelum sine consortio alterius cause, quæ in illum insinat*, &c. *Volo existere formam ignis, concurrentem ad eam etiam materiam primâ*. Tunc autem illa volitio non haberet se pro obiecto, sed formæ ignis existentiam, & causalitatem materiæ in illam; quæ causalitas esset distincta à volitione & actione Dei. Et hoc modo deberent hi Auctores suam sententiam explicare, si aliquid probabile dicere vellent: sed tunc tenerentur vtrobique aequaliter loqui, & in actione creatiuâ, & ineductiuâ. Hæc tamen explicatio reiecitur infra, dum ostendero, debere aliquid medium poni inter volitionem & creaturam ipsam, in quo consistat creatio.

Tertiò impugno hos Auctores, quia idè ipsi dicunt creationem non distingui à volitione Dei & termino, quia repugnat illa duo esse, & terminum non esse creatum: vnde inferunt, ergo creatio non est aliquid vtrique superadditum. Bene, sed iam Primò eos redarguo, quia hoc idem argumentum fit ineductioe, de quo supra.

Secundò, quia si hoc est verum, male ponunt postea nouam in Deo denominationem intrin-

secam creantis, distinctam à denominatione volentis. ad quid enim ea requiritur? Quando enim effectus formalis aliquis non est separabilis nec diuinitus à duabus rebus, non solum non est necessarium illis superaddere entitatem realem distinctam, in quâ consistat talis effectus, sed nec formalitatem aut intrinsecam denominationem virtualiter distinctam: semper enim ea, quæ superadduntur, eo modo sunt separabilia, aliâ sine fundamento adduntur, vt agentes de Relationibus diximus in Logicâ. ergo si denominatio actionis consistit in aggregato volitionis Dei & existentia ipsius creaturæ, superflua est in Deo virtualitas alia ei volitioni superaddita, in quâ consistat ratio actionis, & per quam de nomine- tur de nouo intrinsecè creans in tempore.

Contrâ Tertiò, quia in eo casu melius discurre- res, si actionem creatiuam diceres totam consistere in ipso effectu, hic enim per se dependet à Deo.

Dices, Deus creat, & consequenter debet habere in se creationem. Contrâ, etiam producit formam ignis, ergo debet habere in se productionem. Similiter vnus ignis alterum producit, ergo deberes in agente ponere eductionem, quod tamen renuis: quid ergo hoc argumento moueris, specialiter ad ponendâ in Deo creationem intrinsecam? Respondeo ergo, Deum creare, esse denominationem extrinsecam, quam habere potest, etiam si ipse effectus sit actio sui ipsius: imò nullus Theologus concessit in Deo nouam denominationem intrinsecam in tempore incipientem, nisi quando vnitum est Verbum humanitati Christi, & tamen omnes supponunt, Deum creare in tempore; ergo creare non est denominatio intrinseca in Deo ex communi consensu Doctorem.

Dices vltimò: Terminus non potest esse actio sui ipsius. Nego Antecedens, quando ita pendet ab eâ causâ, vt non nisi vnice ab eâ produci queat, vt dicam infra. Nonne actioeductiuâ, quam tu distinguis, etiam producit à Deo & ab aliis causis? Rogo, an per actionem aliam distinctam, an per se ipsam? Per distinctam non dices, quia daretur ipso processus in infinitum, ergo per se, ergo potest esse aliqua res, quæ per se actu producat à causâ, siue tunc vocetur actio sui, siue non, quod erit quæstio de nomine, de quâ non sum sollicitus.

Videas ergo, quàm improbabiler hi Auctores creationem cum Dei volitione adequatè, vel cum aliâ intrinsecâ Dei formalitate identificent, præsertim si distinguant eductionem.

SVBSECTIO SECVNDA.

Creatio non est aggregatum volitionis Dei & effectus creati.

Dixi supra, non posse melius hos Auctores explicare, quomodo volitio Dei æterna in tempore incipiat esse creatio, nisi dicendo, ipsum effectum, qui in tempore incipit, esse partem creationis, ex cuius defectu volitio ab æterno nec dicatur nec sit creatio. Videamus iam, quomodo hæc pars impugnari possit.

Aliqui sic argumentantur: Per eam actionem per quam Deus Angelum creat, Angelus creatur à Deo,

à Deo, ergo si volitio est actio quâ Deus Angelum creat, per eam etiam denominabitur Angelus creatus. Confirmatur: si volitio Dei est creatio Dei, quid est necessum aliam ponere actionem ex parte creaturæ, per quam producat? quia per volitionem Deus illam adæquatè producit; ergo & ipsa per eam adæquatè producit. Hoc argumentum non est solidum; respondebunt enim aduersarij, per volitionem Dei Angelum creati inadæquatè, sicut & Deus etiam per eam creat inadæquatè: unde isti non aliter de actiua creatione quàm de passiua loquentur.

Hinc etiam alia argumenta, quæ obijci poterant, soluta manent, scilicet Deum ab æterno creare, producere, &c. quibus contra hos aliqui vtuntur: illi enim dicunt, eò quòd volitio se solâ non sit actio creatiua, non posse ab æterno esse creationem, nec productionem: sicut etiam si existat materia, non ideo existit homo, quia hic dicitur aliquid supra materiam.

49 Ego circa hanc opinionem dico Primò, qui creationem dicunt non esse entitatem mediam inter Deum & creaturas (vt cum multis docet P. Hurtadus) probabilissimè possent dicere, rationem creationis actiua & passiua, ex quibus vna integra coalescit, desumi & ex volitione Dei, & ex termino ipso distincto, quandoquidem hæc duo non possunt esse simul, sine eo quòd creetur ille terminus: sicut in diuinis non potest esse Pater & Filius, nisi hic ab illo pendeat & procedat, ideo processio actiua est in Patre, passiua in Filio, & ex vtraque resultat vna integra productio, etiam si quælibet suo modo actiua & passiua vocari queat, vt ostendi Disputatione x. de Trinitate, num. 18. Quo etiam modo multi dicunt, rem modalem, quæ existere nequit nisi vnita subiecto, non vniri vnione mediâ, sed ipsam & subiectum esse duas quasi partiales rationes vniendi, in quo modo dicendi non est magna difficultas.

50 Nihilominus tamen dico Secundò, etiam si non detur creatio distincta, probabilissimè dicitur, eam creationem tunc identificari cum ipso termino adæquatè, & volitionem Dei non tam esse actionem, quàm causam actionis, aut volitionem de actione: dicit enim ille actus, *Volo creare*, ergo creare seu creatio, quod est obiectum illius, distinguitur adæquatè à volitione. Video, posse eos respondere, illam volitionem solum habere pro obiecto creationem inadæquatam, ipsam autem esse aliam inadæquatam actionem. Sed hoc ipsum est difficile, quomodo Deus non velit adæquatè creare, si solus & adæquatè creat. Secundò eadem Conclusio suadet, quia Deus potest esse sine eo quòd actu creet; idem est de illâ volitione, quæ ab æterno non creat: terminus autem non potest esse nisi actu creetur, ergo illi termino est essentiali actu creari, Deo verò non est essentiali actu creare, ergo cum termino debet identificari adæquatè creatio, nullo verò modo cum Deo. Confirmo, quando datur actio distincta, quia huic est essentiali actu produci, omnes adæquatè identificant cum ipsâ rationem productionis ipsius, ita vt actio per seipsam à causâ dependeat. Neque ponitur ea dependentia partialiter in ipsâ actione, & partialiter in causâ. Vtor item exemplo vnionis: quia enim huic est essentiali actu vniri, non verò subiecto, communior & verior sententia docet, modum vnionis (idem est de ipsâ vnio-

ne) per se adæquatè vniri subiecto; neque ipsum subiectum admittit esse partem vnionis, sed extremum.

Quòd si in diuinis cum personâ producente & productâ productio identificatur, ideo est, quia tam essentiali est vni actu producere, quàm alteri actu produci; ergo vtrique est essentiali productio. At si vna posset esse non actu produciens, alia verò essentialiter deberet esse producta, certè adæquatè identificarem cum hac rationem productionis, & nullo modo cum illâ; ergo similiter cum volitio Dei possit esse actu non creans, effectus verò essentialiter sit actu creatus, effectui debet identificari adæquatè creatio, & nullo modo volitioni. imò hæc solum debet esse causa remota, virtualiter applicans omnipotentiam Dei ad creandum.

Dices: Actio est respectus causæ ad effectum, ergo non potest identificari adæquatè cum illo, quia nihil potest esse respectus ad seipsam. Respondeo, negando Antecedens, scilicet, omnem actionem esse respectum causæ ad effectum. Admitto tamen tunc quando datur actio intermedia: quando enim ipse effectus per se procedit, tunc ipse respicit intrinsecè & essentialiter causam, causa verò eum non respicit nisi improprie & extrinsecè, quod per ipsummet effectum fieri potest. Tertio dico, absolute creatio est aliquid distinctum ab effectui, & ab ipso Deo, quod Subsectione sequenti penitus explio.

SVBSECTIO TERTIA.

Quando creatio distinguatur ab agente & termino.

PRIMA CONCLUSIO. Si esset creatura aliqua, quæ non posset nisi vnice & ab eisdem numero causis creari, siue hæc sint solus Deus, siue Deus & alia creatura, in tali casu non distingueretur creatio ab eâ re producta.

Probat euidenter: in tantum distinguimus actionem vel creationem à Deo & termino, in quantum hic potest existere in rerum naturâ, & non creari à Deo, vel non creari hoc determinato modo; ergo si sit aliqua creatura ex se ita determinata, vt non possit existere in rerum naturâ, nisi vnico modo creata, talis non prodiret per actionem distinctam, sicut propter eandem rationem ipsa actio, licet sit quid productum, non procedit per actionem distinctam; & vbicatio non ponitur in loco per aliam vbicationem distinctam, & sic de aliis modis in ordine ad effectus à quibus non possunt separari: & si esset aliqua substantia, quæ nec diuinitus mutare posset locum, sed vni essentialiter esset affixa, non haberet esse in loco per aliquid à se distinctum. Hæc videtur omnino certa, nec puto ab vilo negandam.

55 SECUNDA CONCLUSIO. Ea creatura, quæ ita à Deo creatur, vt diuinitus saltem possit Deus ad eam creandam vt instrumento aliquo creato, aut possit eam bis terve actione totali producere, procedit à Deo per creationem distinctam. Hanc defendit fuse Aureolus in 2. dist. 1. art. 2. quest. 1. qui vniuersaliter de omni actione, quæ creatura à Deo procedit, ibi loquitur. In quo eum non sequor, propter dicta in primâ Conclusionem. Probo autem hanc secundam, quia ab hac creaturâ potest abesse hæc numero creatio, quæ à solo Deo pro-

produciatur, & illa quâ à Deo & à creaturis; quia iam hanc iam illam saltem diuinitus habere potest, vt supponimus, ergo vtrique est distincta. Patet euidenter consequentia, quia id omne, quod vel etiam diuinitus est separabile, est distinctum. Quo argumento probamus, vocationem, durationem, &c. esse distinctas, quia, licet sine aliquâ vocatione esse non possum, possum tamen sine qualibet determinatâ. Idem argumentum fit, si vel ab ipso solo Deo possit duplici actione totali produci, quia tunc quælibet ex illis potest ab Angelo abesse. Nec potest dici, manere semper aliquam eandem numero dependentiam à Deo, licet alia partialis mutetur; hoc enim iam supra reiectum est. Deinde, omnes difficultates, quæ possunt fieri ad negandum totam creationem distinguui, possunt fieri contra eam partialem distinctam. Quod si hæc semel admittatur, vt debet admitti, congruentius multo totius creationis distinctio admittitur.

Ex his duabus Conclusionibus infero Primò, creationem quantitatis, vel aliorum accidentium, in Eucharistia esse distinctam omnino à volitione Dei, & ab eis accidentibus, quia possent ea accidentia existere & non creata, vt patet quando pendet à suis subiectis; ergo creatio est aliquid separabile ab eis. Et idem est in omnibus rebus quæ generantur, casu quo diuinitus creantur.

Secundò infero contra quosdam, etiam animi rationalis & Angelorum creationem esse distinctam ab eorum substantiâ. Hanc non probo, eò quod Angelus vel anima possit diuinitus generari, & non creari: quia licet de animâ rationali id non diffcultur probari posset, nostræ tamen illationis probatio clarior est, nec indiget tam dubiis suppositionibus, quia licet Angelus & anima non possint generari, potest tamen Deus assumere aliam creaturam in instrumentum ad Angeli vel animi rationalis creationem; ergo hæc numero creatio, quâ hic & nunc produciatur, est distincta & separabilis ab eo.

54 Dices Primò, Angelum non posse à Deo simul & creaturâ produci, quia creatur per seipsû. Benè, committis circulum in hac responsione: probas enim per seipsû creati, quia non potest nisi à solo Deo creari; & probas non posse nisi à solo Deo, quia creatur per seipsû. Ego autem circulum euitans dico, potest à Deo simul & alio Angelo, diuinitus Angelus creari, quia non sequuntur duo contradictoria; inde autem infero, ergo non creatur per seipsû. Contrâ Secundò, quia ipse de facto admittis duas productiones physicas animi rationalis Christi Domini: admittis enim illum verè reproduci in Eucharistia, ergo iam illa secunda creatio est distincta ab animo Christi, quia ab eo separabilis. Tunc ultèrius, ista secunda creatio est eiusdem rationis cum primâ, nec essentialiter supponit primam, ergo posset per hanc secundam Christus manere existens, etiam si prima auferatur; ergo prima potest auferri, relicta secundâ; ergo tam prima, quàm secunda sunt distinctæ realiter ab ipsâ animâ Christi Domini, quia ambæ sub distinctione separabiles, imò etiam simul, si per aliam tertiam producantur.

55 Dices Secundò: Angelus ex se est independens à subiecto, ergo ex se creatus. Patet consequentia, quia effectus formalis creationis est, reddere

terminum independentem à subiecto, ergo si ex se est independens, ex se est creatus. Antecedens verò patet, quia non pendere à subiecto, conuenit Angelo per essentiam; ergo non habet per aliquid à se distinctum. Huic argumento vnicè fiunt aduersarij: est tamen in eo magna æquiuocatio, quia creatio duo dicit, vnum positium, aliud negatiuum; illi verò solum loquuntur de negatiuo, vnde malè concludunt. Negatiuum est, non pendere à subiecto; & hoc à se habet Angelus, transeat: imò antequam producat, habet eam negationem, scilicet non pendere à subiecto, & tamen tunc non eo ipso produciatur positium à Deo; pendere enim & produci à Deo, positium est, & hoc non habet Angelus per suammet entitatem, sed per positium modum distinctum, quia est indifferens, vt vel à solo Deo, vel à Deo & aliâ creaturâ, vel hac vel illâ, vna aut duabus creationibus producat. Tunc enim, etiam si semper eandem retineat carentiam dependendi à subiecto, non tamen semper habet eandem dependentiam à causis efficientibus seu creantibus, sicut ignis v.g. (cui demus nunc, repugnet produci ab Angelo) semper habet eandem independentiam ab Angelo: at dependentiam à causis suis non semper habet eandem, ideò actio ab eo distinguitur; Angelum ergo sine actione mediâ à Deo per seipsû dependere, non potest probari, nisi quia vnicè tantum posset à Deo produci, vt dixi in primâ Conclusionem. hoc autem falsum est, vt paulò antè monstraui; ergo absolute dicendum est, cum per creationem distinctam à Deo procedere.

SUBSECTIO QUARTA.

De subiecto creationis.

57 Qvi specialiter negant distinctionem creationis à termino, ideò mouentur (vt supra insinuaui) quia non reperiunt subiectum in quo possint illam ponere; sine subiecto autem nequit existere, quia est accidens, cuius proprium est inesse. Quod nullum sit subiectum in quo ponatur, probant, quia in primis non potest esse Deus, qui omnino est incapax recipiendi in se vllam formam distinctam, accidentalem vel substantialem. Deinde nec potest esse ipse effectus creatus, hic enim nequit esse prior & causa suæ propriæ actionis, iuxta dicta supra. Deo autem creante & ipso termino creato exclusis, nullum restat subiectum in quo possit recipi creatio distincta.

Huic difficultati respondetur, distinguendo duplex subiectum, aliud *inhabitionis*, quod verè causat formam sibi inhaerentem, ideòq; debet esse prius suâ formâ, sicut & quælibet alia causa: & hoc subiectum fateor non posse dari respectu creationis, propter mutua prioritatis repugnantiam. Aliud subiectum est *adhesionis*, quod non causat formam, sed præcisè eam in se recipit, & ab eâ denominatur (sicut materia denominatur ab animo rationali, quem non causat) nihilominus tamen forma quæ in illo recipitur, pendet ab illo subiecto à posteriori, ita vt non possit conseruari sine illo, quo differt ab animo rationali, qui neque à priori neque à posteriori dependet à materiâ. Hoc subiectum adhesionis non necessariò est prius quàm forma recepta, cum nec sit causa illius.

illius, nec dispositio ad illam; igitur creatio distincta solum habet subiectum adhesionis, quod est ipse terminus productus per illam, quem denominat productum, & à quo pendet solum à posteriori. Hæc ampliùs obiectionum solutione declarantur.

Obiicies ergo Primò: Deratione accidentis est non solum adherere, sed etiam inherere; ergo illa actio quæ est accedens, debet habere suum subiectum inhesionis. Respondeo, si *inherere* idem sonet ac *dependere à priori ut à causâ materiali*, nego id esse proprium constitutum accidentis: nam forma substantialis materialis inheret materiæ in hoc sensu, id est dependet ab illâ à priori *ut à causâ materiali*, nec tamen est accedens; ergo ea dependentia non est proprius conceptus accidentis. Si verò *inherere* idem significet ac *esse extra constitutionem substantialem rei*, fateor id esse proprium & commune omnibus accidentibus: in hoc tamen sensu non includit dependentiam à priori tamquam à causâ materiali. Ut enim sit extra conceptum substantialem rei, per accedens se habet quod dependet ab illâ ut à causâ materiali, vel præcisè ut à subiecto receptionis: hoc autem sensu dico creationem inherere termino, id est, esse extra conceptum substantialem illius; nego tamen, idè ab illo dependere à priori, sed solum à posteriori. Quid autem sit, esse extra conceptum substantialem rei, non est in præfati, sed in Metaphysicâ explicandum, & est utriusque parti communis difficultas.

60 Addo, ut clariùs constet solutio obiectionis factæ, iuxta dicta Disputatione viii. à num. 2. non esse vllum efficax argumentum, ad probandum, vllum subiectum producere materialiter formam aliquam ex his quas in se recipit. Si ergo de nullo subiecto potest ostendi efficaciter causalitatem materialis circa formam, quantò minùs id ostendetur de omni subiecto respectu cuiuslibet formæ: præcipuè cum stet in contrarium manifesta ratio probans, esse impossibile hic & nunc eam causalitatem materiale respectu creationis. Confirmo hoc ex ipsis aduersariis, quorum multi ponunt in composito duas vniones partiales, & eam quæ est ex parte materiæ v. g. solum adhesionem pendere à formâ expressè docent: eandem ergo dependentiam de ego creationi respectu sui termini.

Aduerte, nonnullum nobiscum creationem distinguendum dicere, adhuc eam inherere termino. Sed reuerà hic solâ voce à nobis distidet: fateatur enim, creationem non causari à termino, sed esse illo posteriorem, illam tamen exigentiam, quam creatio à se habet etiam pro priori naturâ, ut non possit sine termino conseruari, vocat hic 61 *inherentiam*, in quo modo loquendi abutitur voce *inherentia*, quæ ab omnibus non pro dependentiâ vtrumque, sed à priori ut à causâ materiali, vsurpatur. Idè absolutè non vocanda ea dependentia inherencia, siue sit in co priori naturâ, siue non; omnis enim res pendens à posteriori ab aliâ, exigit etiam pro priori naturâ, ut sequatur illa à qua pendet, quod tamen non constituit dependentiam quæ absolutè à priori & *inherentia* dicatur.

Hinc verò replicabis: Ergo non est de conceptu accidentis *inherere*, nec *adherere*, quod videtur omnino falsum. Sequela probatur, quia per

te ex proximè dictis solum requiritur accedens esse extra conceptum substantialem rei: at hoc, sicut potest reperiri sine inherentiâ, etiam potest sine adherentiâ. Respondeo, accedens vltra hoc, quod est non esse de conceptu substantiali alius, necessariò addere, esse formam illius; alioquin non accidet tali rei, & lapis, qui est extra conceptum Petri, esset accedens illius, quod est falsum: ad hoc autem ut accedens sit forma subiecti, necessariò debet illi minimùm adherere, id est illud informare, & etiam ab eo dependere saltem à posteriori. nam si posset per se existere, esset per se stans, & consequenter substantia; debet ergo vel adherere, vel inherere.

Tertiò obiicies: Omnis dependentia à priori, est etiam dependentia à posteriori; ergo è contrario omnis dependentia à posteriori erit etiam dependentia à priori: sed creatio per te dependet à posteriori à termino, ergo etiam à priori. Huic argumento plus merito nonnulli tribuunt: ei respondeo Primò, negando Antecedens, quia dependentia à posteriori, rigore loquendo, est dependentia ab aliquo conueniente; vnde in rigore non solum non debet dependentia à priori esse etiam à posteriori, verum ei id omnino repugnat, quia nihil potest esse prius & posterius respectu eiusdem. Quòd si dependentia à posteriori, solum sumatur pro dependentiâ in conseruari, adhuc etiam est falsum Antecedens: omnes enim formæ substantiales, quæ producuntur à causis creatis, pendunt ab illis à priori, non tamen à posteriori, seu in conseruari. Sed do tibi Antecedens, scilicet omnem dependentiam à posteriori esse etiam à priori; adhuc nego consequentiam, scilicet omnem dependentiam à posteriori, esse etiam à priori: nam essentia pendet à posteriori à passionibus, item materia & forma, & quælibet res à suâ vocatione, & tamen nullum ex his à priori ab alio; ergo non omnis dependentia à posteriori includit dependentiam à priori. Disparitas esse possit, dependentiam à priori esse maiorem, idè includere & dependentiam à posteriori, licet non è contrario.

Quartò obiicies: Creatio constituit terminum independentem ab omni subiecto, ergo etiam ipsa debet esse independentis ab illo. Responderi Primò posset ex communi sententiâ, negando Antecedens: nam termino creato solum opponitur dependentia à subiecto ut à causâ materiali, non autem opponitur dependentia à subiecto à posteriori; hanc autem independentiam ut à subiecto causante materialiter, etiam habet creatio ipsa, ergo rectè potest illam communicare suo termino. Hæc solutio supponit communem doctrinam de causalitate materiali, in qua constituitur ratio generationis, ut constituitur à creatione. Si autem dicatur, rem creatam excludere omnem dependentiam, etiam à posteriori à subiecto (de quo egi eâ Disputatione viii. à num. 2.) debet aliter responderi obiectioni, negando consequentiam: sicut enim visio reddit parietem visum, quin ipsa sit visa, & in aduersariorum sententiâ substantia reddit Angelum independentem à subiecto inhesionis, & tamen ipsa substantia dependet ab Angelo ut à subiecto cui inheret; cur non poterit creatio constituere suum terminum independentem ab omni subiecto, etiam si ipsa dependet à suo termino ut à subiecto adher-

De Causa efficiente in communi & causalitate. SECTIO IV. 373

adhesionis? Imò & ex hoc capite, etiam vt à subiecto inhesionis, posset pendere, si aliunde non repugnaret.

SUBSECTIO QUINTA.

De distinctione specificâ & numericâ actionum & passionum.

65 **D**vo respicit actio, terminum, & principium; passio verò respicit tria, principium, terminum, & subiectum. Querimus, quâ ratione actio & passio varientur pro varietate agentis, termini aut passi. Semper in his questionibus communem & probabiliorē sententiam de causalitate materiali seu passiuâ supponimus.

PRIMA CONCLUSIO. Actio & passio non sunt indifferentes, neque etiam de potentiâ absolutâ, vt possint eadem numero non respicere hoc numero principium, subiectum & terminum, sed aliud etiam solo numero distinctum. Ratio est clara: quia si hæc actio ex suo conceptu essentiali non esset alligata huic numero principio, ergo hoc quod est de facto oriri ab hoc principio, aliquid esset ei superadditum, & consequenter daretur processus in infinitum. Nam de illo superaddito rediret idem argumentum: Ergo hæc actio (idem est de passione) non potest esse in rerum naturâ, nisi procedat ab hoc numero principio, & terminetur ad hunc numero effectum: sicut etiam cognitio quæ respicit Petrum, non potest esse quin illum respiciat; ergo diuersificantur numero actiones & passionēs, pro diuersitate numericâ principij, termini, aut subiecti.

SECUNDA CONCLUSIO. Pro diuersitate specificâ agentium, etiam si terminus sit idem in specie, diuersificantur specie actiones: actio v.g. quâ sol producit calorem, est diuersa in specie ab eâ, quâ vel ignis vel vnus calor producit alium calorem. Probatur facillè, quia illæ duæ actiones habent respectum essentialem ad duo principia specie diuersa, ergo habent etiam respectum specie diuersum, quia respectus diuersificabitur ex diuersitate termini; sed ille respectus est idem realiter cum ipsis actionibus, vt ex primâ Conclusionē constat, ergo hæc sunt inter se specie diuersæ.

Confirmari posset ab aliquo, exemplo visionis humanæ v.g. quæ licet, dum terminatur ad albedinem, habeat idem obiectum specie, imò & numero, cum visione leonis de eadem albedine, tamen quia principia homo & leo differunt specie, 67 differant etiam specie illæ visiones; ergo à fortiori actiones respicientes diuersa principia specie, licet habeant eundem terminum, erunt specie diuersæ, quia magis essentialiter respiciunt actiones sua principia, quàm actus vitales respiciant potentiam vitalem: nam hi saltem de potentiâ absolutâ possunt fieri sine potentiis, actiones verò nequeunt fieri vilo modo sine principijs quæ de facto respiciunt. Hæc confirmatio vrget, suppositâ communi sententiâ de diuersitate specificâ visionum hominis & leonis; absolute autem diuersitas actionum ex diuersitate terminorum est multò certior quàm diuersitas harum visionum: nam in meâ sententiâ visio, quæ in qualitate consistit, licet respiciat essentialiter suum obiectum, principium tamen & subiectum

respicit per actionem & vnionem distinctam. Vnde fortasse vnâ eademque visio est indifferens, vt ab hoc vel illo principio, etiam specie diuerso, procedat, aut in hoc vel in illo subiecto recipiatur; sicut idem numero calor fuit indifferens vt ab hac vel illâ causâ procederet. Et in hoc puncto visio comparatur cum effectû, non verò cum actione: hæc verò potest comparari visioni, quatenus respicit obiectum. Sicut enim, quia visio per suammet essentiam respicit obiectum, visiones habentes diuersa obiecta, specie differant inter se; ita quia actiones per se respiciunt essentialiter principium, si hæc diuersa sint, diuersæ etiam erunt essentialiter actiones.

Et hic aduerte rationem, cur ex diuersitate 68 causarum non semper arguatur diuersitas effectuum, sed idem calor in specie possit esse à sole vel ab igne: imò ex hoc capite etiam possit, vt dixi in materiâ de Angelis, eadem specie intellectio in Angelo & homine reperiri, eadem tamen actio non possit iam ab hac iam ab illâ causâ prodire. Ratio est, quia effectus actu pender ab hac causâ per actionem à se distinctam, vnde mutando actionem, potest iam ab hac iam ab illâ pendere: at actio pender per suammet essentiam à causâ, idèò non potest iam ab hac iam ab aliâ pendere, aliàs mutaret suam essentiam, quod omnino repugnat. Et hæc doctrina vniuersalis est ad omnes modos, qui seipsis essentialiter assignantur subiectis; oportetque eam benè percipere, ad discurrendum consequenter.

Obiicies Primò, incredibile videri, motus car- 69 li, factos à diuersis specie Angelis, esse specie diuersos inter se; ergo diuersitas agentium non facit actiones diuersas. Nego id esse incredibile, sicut non est incredibile, cognitiones de diuersis specie obiectis esse etiam inter se specie diuersas.

Obiicies Secundò: Multa agentia diuersa in specie, possunt concurrere per eandem actionem, vt Deus & causa secunda; ergo diuersitas agentium non diuersificat actiones. Respondeo, nos non negare, eandem actionem numero posse oriri simul à pluribus agentibus numero & specie diuersis; neque id intendimus, quando dicimus actiones specificari ab agentibus, sed præcisè eam actionem, quæ non oritur ab iisdem agentibus in specie à quibus altera, necessariò futuram diuersam in specie ab illâ. Sicut, quando dicimus potentias diuersificari ab obiectis (idem etiam est de actibus) non contendimus, vnâ potentiam non posse respicere plura obiecta diuersa: sed id solum significamus, eam potentiam, quæ respicit diuersa obiecta, ab alterâ potentia, necessariò futuram diuersam, siue quolibet multa obiecta diuersa, siue vnicum respiciat. Alioquin etiam probaretur hac obiectio- 70 ne, nec numero differre actiones pro diuersitate specificâ agentium, quandoquidem eadem numero actio à tot specie diuersis causis simul fieri potest, quod apertè falsum est; nec docetur ab vilo.

TERTIA CONCLUSIO. Etiam pro diuersitate passi diuersificantur actiones eductiue. Hæc probatur iisdem argumentis quibus præcedens, quia passum est vnum ex principijs actionis eductiue; vnde si actio specificatur à principijs, debet etiam specificari à passio: quare actio, quâ eductur

tur gratia ex Angelo, est diuersa in specie ab eâ quæ educitur eadem gratiâ ex animo rationali, quia hic & Angelus, qui sunt subiectum, differunt specie inter se.

QUARTA CONCLUSIO. Actio specificatur etiam à termino producto. Hæc est cõmunissima, & probatur ex dictis, quia actio tam essentialiter respicit terminum, quàm principium; ergo non minus à termino, quàm à principio specificatur. Huc applica, quæ in præcedentibus Conclusionibus dicta sunt.

Rogabis, vtrum ab eodem principio, circa eundem terminum, possint esse actiones diuersæ in specie, ex solâ diuersitate tendendi in terminum. Respondeo affirmatiuè, quia potest de potentia absolutâ, vt infra ostendam, creatura saltē instrumentaliter concurrere cum Deo ad creationem alterius termini. Pone igitur, materiam & formam substantialem ignis B, à quibus simul cum Deo de facto educitur forma ignis A, de potentia absolutâ eleuari ad creandam eandem formam substantialem ignis A: ecce in eo casu idem esset terminus productus, & omnia principia illius eadem quæ modò sunt, scilicet Deus, materia, & forma ignis B, & tamen actiones essent diuersæ, quia vna esset creatio, altera generatio, quæ inter se specie differunt: ergo ab eisdem causis ad eundem terminum esse possunt actiones diuersæ in specie.

Confirmatur à simili: apprehensio & iudicium sunt ab eadem potentia, & circa idem omnino obiectum, differunt tamen inter se specie ex diuerso modo tendendi; ergo etiam poterit esse diuersa actio in specie, licet principia & terminus non differant specie. Verum quidem est, quoad nos, qui non videmus actiones in se, semper illas reputari eiusdem speciei, quando terminus & principium est idem: hoc tamen non probat, ipsas in se non posse esse diuersas, & ab Angelo vel Deo clarè eas cognoscentibus, non posse etiam cognosci eam diuersitatem.

SECTIO V.

Vtrum omnes Cause simul concurrentes ad eundem effectum concurrant eadem numero actione.

CAUSAM materialem non concurrere actione distinctâ ab actione causæ efficientis, ostendi Disputatione viii. Sectione 2. Ex quo videtur inferri, omnes actiones causarum efficientium simul ad eundem terminum concurrentium, etiam identificari inter se, quia identificatur vni tercio, id est causalitati materiali. quia tamen nonnulli censent, pro multiplicitate agentium multiplicari actiones, oportet id fusiùs in præsentem explicare.

73 Probat igitur hi Primò suam sententiam: Quia eadem actio numero nequit respicere duo principia specie diuersa. Nego Antecedens: sicut enim eadem cognitio potest respicere duo obiecta diuersa, & idem effectus potest oriri à duabus causis, cur non poterit eadem actio à duobus principiis emanare?

Secundò: Quia actio Dei semper est transiens, actio verò creaturæ aliquando est immanens, vt

patet in actione vitali; ergo distinguuntur actio Dei & creaturæ. Respondeo, actionem Dei semper esse transeuntem respectu ipsius Dei, quo sensu etiam actio creaturæ est semper transiens; at verò actio Dei non est semper transiens respectu creaturarum, sed aliquando immanens, sicut & ipsa actio creaturæ; quare nego vni actioni aliquid conuenire, quod non conueniat alteri. Neque inconueniens vllum est, eandem actionem esse transeuntem respectu vnius, id est Dei, & immanentem respectu alterius, id est creaturæ.

Terziò: Quia actio creaturæ aliquando est materialis, actio verò Dei semper est bona, ergo sunt distinctæ. De hoc Disputatione x. Sectione 2. Nunc aduerte, aduersarios vrgeri etiam hoc argumento, quia actio illa creaturæ necessario producitur à Deo, etiam si sit distincta ab actione Dei; quia etiam ea actio immediatè à Deo pendet, sicut omnis alia entitas creata, vt & ipsi aduersarij fatentur; ergo eum in eorum sententiâ videtur Deus esse causa actionis malæ.

Igitur subscribendum est communi sententiæ, identificanti eas actiones inter se. Hanc defendit P. Suarez i. Tomo Metaphysica, disputat. 22. sect. 13. P. Molina i. Parte, quæst. 14. art. 13. disputat. 3. circa finem. Hanc probant nonnulli iisdem rationibus, quibus Disputatione viii. Sectione 2. & Disputatione ix. Sectione 2. de actione Dei & creaturæ vidimus probari, communiter actionem & passionem inter se identificari. At, sicut illas ibi reieciimus, ita & hæc, solumque probamus hanc Conclusionem ex eo, quod non est vlla necessitas distinguendi prædictas actiones. Vide quæ diximus Disputatione xi. Sectione 2. circa distinctionem actionis à passione, & ea omnia applica huc, proportionè seruata.

Rogabis, vtrum sicut potest per eandem actionem à duobus principiis idem terminus oriri, ita è contrario ab eodem principio per vnicam actionem possint produci duo termini distincti. Respondeo Primò, si illi duo termini, vnus priùs alio producat, non posse produci vnicâ actione, quia non potest actio esse in aliquo priori, etiam naturæ, nisi in eo sint omnes eius termini. Respondeo Secundò, si illi duo termini simul naturâ producantur, non sequi duos contradictoria, eò quod vnicâ actione producantur, ideoque nullo modo id repugnare. Imò addo, si naturaliter illi termini sint connexi vt intellectus & voluntas, (suppono nunc eos distinguui,) valde probabile esse, etiam de facto vtrumque per vnicam actionem produci: neque enim videtur esse maior ratio cur eadem actio possit esse à duplici causâ circa eundem terminum, quàm è contrario ab eadem causâ eadem actio circa duos terminos. Sed aduerte, eo casu non posse illam actionem etiam diuinitus manere sine vtroque termino, licet termini illi per aliam actionem vnus sine altero existere possit, sicut actio orta à duabus causis, non potest sine illis duabus permanere.

SECTIO